

ris tribus ante prandium ʒ.ij. vel iij. vsque ad ʒ. s. terebinthinæ Cypriæ, quæ non tantum aluum leniet, sed optima etiam erit ad renes expurgandos, & prouocandam urinam: quo auxilio maxime indiget. Ideo consulo ut his singulis septimanis hoc utatur auxilio, etiam si alioqui ventris beneficium habuerit. Somnum meridianum quammaxime euitabit. Est enim suis dispositionibus omnino contrarius, & præcipue destillationi. Cibo inter omnia utatur quammaxime simplici: nihil enim illi deterius, quam epularum varietas, & multitudo. Sed & vino modice utatur, quod sit substantia tenue, limpidum, transparent, maturum, nec dulce, nec atringens, viribus mediocre: quod parcissime bibat: cauebitque omnino, tanquam à peste, à comotationibus, neque bibat inter prandium & cenam. Euitabit omnium piscium esum, præsertim Venetiis: ubi pisces, quanto gustu iucundiores sunt, tanto sanitati deteriores. Fugiat omnem usum lactis, & quæcunque ex lacte conficiuntur: sed à caseo præcipue sibi temperabit. Abstineat à pastilibus, leguminibus, rebus frixis in sartagine, ab oleis crudis, ab omnibus cibis, qui crassum & viscidum humorem generant. Vnde & carnes agnorum sunt illi quammaxime aduersæ, forte etiam magis quam porcinae: de agnis loquor minoribus. Nam si haberi possunt anniculi, illos reliquis omnibus carnibus præferre. Inter prandium & cenam nouem saltim horarum intercedant, fugiatque semper per fatietatem & repletionem: parcius tamen cenet quam prandeat. Quanto enim erit cena parcior, tanto coctiones alimentum erunt meliores, & minus redudabit catarrho, & reliquis excrementis. Cum hac diligenti victus ratione, quæ perpetuo illi obseruanda est, vel nullo modo est incipienda, nisi sit animus quoque persequendi: spero quod maxima pars curationis sit perficienda. Ut melius tamen, & tutius perfici possit, medicamentorum quoque auxilium non contemnat: illudque in primis obseruabit, ut singulis annis in Vere purgetur: quod etiam summopere laudare in Autumno. Sit autem purgatio hunc ferè in modum:

R. Electuarij de sebesten ʒ. x.

Specierum hieræ simpl. ʒ. iij.

Misce cum saccharo, fiat bolus, dandus tribus horis ante prandium. Deinde

R. Oxymellis scillitici,  
Syrupi Byzantini compl. ana ʒ. j.

Decoctionis ceterach,

Cichorij,

Capillorum veneris ana ʒ. iij.

Misce pro vno, & sic per nouem. Sumptis syrups accipiat medicinam infra scriptam:

R. Confectionis hamech ʒ. iij.

Oxymellis scillitici ʒ. j.

Cum aqua betonicæ fiat potio breuis, danda in aurora cum custodia. Quod si medicinam abhorreat à potu, accipiat pillulas aggreg. pondere ʒ. j. s. & fiant pillulæ num. 7. sumendæ in aurora cum custodia. Magis tamen laudo potum, si tolerabit. Peracta huiusmodi purgatione per 15. dies continuos secuturos, accipiat hora vna ante prandium & cenam ʒ. s. optimi sacchari rosati. In medijs verò temporibus, inter purgationes or-

**A** dinarias, ut efficacius possit præseruari, non dimittet usum terebinthinæ Cypriæ, de qua antea locuti sumus. Præterea in toto æstatis tempore, laudo ut ter vel quater in mense sumat ʒ. j. optimi rhabarbari puluerizati cum ʒ. j. sacchari rosati optimi, tribus horis ante prandium. In temporibus verò reliquis optimæ erunt pillulæ de tribus, Ruffi, quæ conficiuntur ex æqualibus partibus myrrhæ, croci, & aloes, ut sumat ʒ. j. per horam ante cenam eodem modo ter vel quater in mense.

**B** Vbi verò ardor ille urinæ perseverabit, bibat singulis diebus manè, antequam domo exeat ad sua consueta negocia ʒ. x. vel ʒ. j. iuris pulli, in quo decoctæ fuerint liquiritia, & due radices althææ, manipulus foliorum maluæ, & ʒ. s. feminis cidoniorum, ex quibus facta forti expressione, bibat hoc decoctum calidum: perseveret autem per plurimos dies: erit enim remedium efficacissimum, & tutissimum ad ardorem urinæ sedandum. Vnum tamen est præcipue animaduertendum, quod in victus ratione omiserat, ut quantum fieri potest, abstineat à coitu: nihil enim magis contrarium suis dispositionibus, ita ut si omnia fiat, & in hoc tantum delinquat, plus poterit hoc solum ad destructionem, quam reliqua omnia ad conseruationem. Et si hæc omnia diligenter obseruauerit, spero illi omnia feliciter successura, cum auxilio summum & omnipotentis Dei, cuius nomè sit benedictum.

*Ad exiccandas gingiuas, dentesque firmandos, optimum presidium, & facile parabile.*

**D** Primò, ut semper manè suauiter fricet dentes intus & exta panno mundo lineo: deinde abluat os cum vino albo aromatico, in quo nulla sit sensibilis frigiditas: postea teneat in ore inter dentes commotos, & gingiuas affectas modicum acetum scillitici: & quanto diutius tenebit, tanto melius. Studebit enim habere frondes lentisci viridis, quas facile haberi poterit, & semper aliquid leniter ex fronde contusa teneat in ore. Dicitur etiam Cretense, quod nunc passim habetur Venetiis, teneat in ore assidue, leniter masticando. Calamus etiam aromaticus, & zedoaria, si in ore teneantur, & masticentur, hoc idem præstant. Decoctum etiam ligni Indici in vino albo aromatico, quo frequenter dentes colluat, summopere confert.

#### CONSILIVM CXVI.

**E** Pro exulcerato labro à materia melancholica adusta, & dispositione ad cancrum, prescriptum Italicè.



**P**rimò quantum ad conseruationem sanitatis attinet, ab omnibus molestiis animi sibi temperabit, maximeque fugiet tristes & sollicitas cogitationes: quantumque fieri potest, animo læto atque hilari in suauitate eorum quos diligit, acquiescat. Exercitijs utatur matutine moderatis, videlicet deambulatione vel equitatione per vnius horæ spacium. Et ubi propter cæli iniurias equitatio non conceditur,